



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XII. Liberium Papam non subscripisse Arianorum blasphemiae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83642](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83642)

tiplici librorum editione clarissimum; atque ita Divo Eusebio additum Casariensis agnomen: ut ex Fortunio infert

vir eximius Antonius Pagi ad annum 340. n. 22. Hoc modo utriusque sententiæ patronis aliquantulum satisfecerimus.

CAPUT XII.

Liberium Papam non subscripsisse Arianorum blasphemiam.

SUMMARIUM.

1. Habetur Notandum historicum circa statum quæstionis.
2. 3. & 4. Proponuntur tres sententiæ.
5. Probatur, Liberium subscripsisse uni ex tribus Sirmiensibus formulis quæ interpretative saltem appellari debet Ariana.

6. Propugnatur, eum non subscripsisse tertiæ formulæ Sirmiensis.
- à num. 7. usque ad 11. ostenditur, eum secundam formulam Sirmiensem formaliter hæreticam neque absolue; neque in una tantum parte approbasse.
12. 13. & 14. Satisfit objectionibus.

1. Quid de Liberio Papa sentiendum.

Tres fidei formulæ Sirmienses notandæ.

INTER Fidei formulas à fautoribus Arij post damnatam eorum hæresim vulgatas, tres Sirmienses commemorandæ mihi sunt; prior contra Photinum edita anno 351. altera ab Hosio, & Potamio conscripta anno 357. postrema autem 359. opera Basilii Ancyran. Definitum est in prima, Verbum esse Deum de Deo; & dictum anathema iis, qui Filium ex non extantibus, aut ex altera hypostasi profitebantur: suppressum duntaxat vocabulum *Omoousion*, fidei tessera tunc Orthodoxæ. Hæc fidei formula in se quidem Catholica est, ac talis habetur ab Hilario in lib. de Synodis: rejicitur tamen ob latentem Arianorum fraudem ab Athanasio. Alteram memoratus Hilarius jure merito appellat blasphemiam: quippe & *usia*, & *Omoousion* prohibet fieri mentionem; atque Filium subjectum, & Patre minorem dignitate, honore, ac majestate, nefaria impietate declarat. Decernitur in tertia Filium esse Deum de Deo, & similem Patri; at exploditur *substantia* nomen, tanquam ignotum, incaute à Patribus positum, & cujus nullum sit in sacris libris vestigium. Ergo, cum Liberius apud Bercæam exul dolo Semarianorum circumventus, fractus animi, corporisque procellis, nec omnino liber affectu, ex præfatis formulis unam probaverit, quod est ex Ecclesiasticis monumentis, ejusque Epistolis satis comperit: oritur quæstio, num veritatem, pro qua invictè certaverat, pessumderit; an vero Arianicæ pestis evaserit contagionem. Nam si fidem secundam amplexus est, actum de Liberio: si tertiam; licet possit quoquomodo defendi Orthodoxus, magnum emergit incommodum, id est, Romanum Pontificem aliquando decretum Nicænum, eoque consecratum *Omoousion*, conculcasse: quod vereor, ne sit pericundum Pontificiæ Auctoritatis Impugnatoribus:

quam si fas esset in dubium revocare, non essem ego de lapsu Liberii sollicitus: sed cum illam firmissimam Ecclesiæ Petram intimo, veroque sensu profitear; operæ pretium est in patrocinium veritatis nervos omnes intendere.

Itaque triplex sententia occurrit examinanda. Prima est H. Valesii in Notis ad iv. lib. Sozomeni cap. 15. in quam manibus pedibusque it Pagius ad an. 357. num. xi. qui docet Liberium probasse tertiam formulam editam, ut putant, anno 358. quo Liberius restitutus est. Quod probant hoc argumento: Ut constat ex fragmentis Hilarii n. vi. subscripsit Liberius Fidei Ecthesi, quam idem Hilarius appellat *perfidiam*, & quam conscripserunt Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus, &c. At formulam, quam hic Hilarius appellat *Perfidiam apud Sirmium descriptam*, non est prima Sirmiensis, hanc enim Hilarius in lib. de Syn. affirmat esse Catholicam; neque est Sirmiensis secunda, quippe hanc, Auctore eodem Hilario, conscripserunt Hosius ac Potamius, qui non recensentur in eorum Catalogo qui receptam à Liberio formulam probaverunt. Oportet ergo, ut Liberius subscripserit tertiæ eodem anno editæ, in quo revocatus est ab exilio.

Altera sententia est Blondelli in lib. de Primatu Papæ, cui ex parte accedit Petavius in Observat. ad Epiphanium, & probabiliores putant Novatores omnes, Liberium scilicet subscripsisse secundæ Sirmiensis: quæ sententia huic nixa est argumento. Formula, quam Hilarius *Perfidiam* appellat, revera est secunda, & expresse hæretica, cui in lib. de Synodis præfigitur titulus: *Exemplum blasphemiam apud Sirmium per Hosium, & Potamium conscripta*. At Liberius adhuc in exilio degens subscripsit huic Formulæ, ut ipsemet scribit in Epist.

2. Sententia 1. Lyberius probavit tertiam formulam.

3. Sententia 2. Liberius probavit secundam formulam.

Epist. ad Orient. his verbis: *Sane petendam esse crediderim Sanctitatem vestram, quia jam pervidetis in omnibus me vobis consentaneum esse, dignemini communi consilio ac studio laborare, quatenus de exilio jam dimittar, & ad sedem, quae mihi divinitus credita est, revertar.* Constat ex his Liberium subscripsisse formulæ ab Orientalibus ipsi per Demophilum exhibitæ, adhuc exulem. Hanc vero formulam esse illam, quam Hilarius appellat *Blasphemiam* apparet ex parenthesi in Fragmentis; ubi recitata Liberii Epistola, inquit idem Hilarius (*Hæc est perfidia Ariana, hoc ego notavi, non Apostata. Liberius sequentia.*) Quid potest adversus Liberium asserri manifestius? Sed Petavius, ut dixi, ex parte tantum hanc opinionem amplectitur, & immerito ejus sententia ab Honorato Tournely eadem dicitur cum opinione Blondelli: quandoquidem Cl. Petavius contendit a Demophilo non integram, sed mutilam Ecthesim illam Liberio exhibitam, & ab eo receptam in ea tantum parte, quæ *Omoousion* supprimit, non in altera, quæ Filium subicit Patri: unde ex mente Petavii nulum infertur Romano Pontifici præjudicium, & idem prorsus est, ac si probasset duntaxat primam fidem Sirmii, hoc solo titulo Arianicam. Utrum vero recte sentiat Petavius, dicam in hujus asserti refutatione.

4. Sententia 3. Liberius probavit imam formulam.

Tertia, eaque communior sententia, pro qua pugnant Romanenses omnes, nec non Gallorum doctissimi Nat. Alex. Dissert. xxxi i. sæculi iv. laudatus Tournely, Juenin, alique permulti in Theologicis de Trinitate disputationibus, nec unquam satis celebrandi Benedictini PP. in notis ad Fragm. vi. Hilarii, docet Liberium primæ formulæ contra Photinum editæ subscripsisse. Pro qua sententia animadvertitur, non esse quæstionem de Ecthesi, quam probavit Sirmium reversus; hæc enim fuit libellus in quo Basilii, Eustathii, & Eleusii complexi sunt decreta contra Paulum Samosatensem, & Photinum firmiensem & Fidem quæ Antiochenæ Ecclesiæ fuerat exposita, in qua supprimebatur *Omoousion*, eoquod nonnulli hujus vocis prætextu clanculum hæresim Sabellianam confirmare conabantur; ut colligitur ex Sozomeni lib. iv. cap. xv. Quare dum ibidem Sozomeus ait, quod Imperator coegit Liberium confiteri patris filium non esse *Omoousion*, liquet esse intelligendum, de Confessione in qua *Omoousion* suppressum erat, non de illa, in qua damnabatur; alias non Fidei Antiochenæ, & Sirmienfi contra Samosatanum, R. P. Berti Theol. Tom. II.

tenfes vulgatæ, sed alteri e diametro oppositæ tribuisset assensum. Aut certe eo sensu *Omoousion* proscripsit, quo abutebantur Photiniani à Synodo Antiochena damnati. Præterquam quod neque Imperator, neque memorati Episcopi, qui secundam Sirmiensem execrabantur, poterant, ut infra apparebit, illam Liberio proponere. Atque his delibatis sit,

PROPOSITIO I. Liberius subscripsit uni ex tribus Sirmiensibus formulis, quæ interpretative saltem appellari debet Ariana.

Ingenui Scriptoris est non contradicere veritati. Ipse Liberius in Epist. ad Orient. data, ut vidimus, Berœæ fateatur se lubenti animo suscepisse fidem, quæ Sirmii tractata fuerat, & exposita; & quam appellat Catholicam, & Hilarius tetro notavit commate. Colligitur hoc idem ex altera Liberii Epistola ad Ursacium, Valentem, & Germinium, ex tertia quoque ad Vincentium Episcopum Capuæ. Præter apertissimum testimonium Hilarii, Hieronymus cap. 97. de Viris illustribus ait: *Fortunatianus in hoc habetur detestabilis, quod Liberium Romanæ Urbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem prius sollicitavit ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit.* Tradunt consimilia Athan. in Epist. ad Solitarios, Auxilius lib. i. de Ord. Petrus Damianus Epist. 15. cap. 16. Platina in ejus vita: imo Marcellinus in Chronicis ex albo summorum Pontificum illum expungit. Hæc tamen ad damnandum Liberium non sunt satis; quando enim non probetur Liberium suscepisse secundam fidem Sirmiensem; consequens erit audiisse tanquam Ariana, hæreticum, & Apostatam interpretative, non, ut in Scholis loquimur, formaliter; hoc est, probasse Ecthesim, quæ supprimit, non quæ condemnat expresse in Ariano sensu *Omoousion*.

PROPOSITIO II. Liberius non subscripsit tertiæ formulæ Sirmienfi, ut opinantur Valesius, & Pagius.

Hi putant tertiam Sirmii fidem editam anno 358. quo restitutus fuit Liberius; sed hoc invictissimo argumento revincuntur. Patet ex Epist. Liberii ad Orient. & ex fragmentis Hilarii probasse Liberium fidem, quæ Sirmii tractata, exposita, & suscepta est, idque Berœæ, priusquam ab exilio revocaretur, quod contigit omnium consensu, ante exactum annum 358. Atqui tertia Sirmienfis Synodus coacta est duntaxat anno 359. die Maji secunda & vigesima, quæ enim celebrata dicitur an. 358. circa Pascha fuit Ancyranæ Semiarianorum, uti liquet ex Epist.

5. Probatum.

6.

Liberius non subscripsit tertiæ formulæ

R

Epist.

Epist. Synodica apud Epiphanium Her. 3. §. 2. quare vereor, ne doctissimus Vale-
sius utriusque tempora inverterit. Non
est ergo tertia fides Sirmii, quam Libe-
rius anno suæ restitutionis suscepit. Mi-
norem probo: nam Tertie Sirmiensi for-
mulæ hæc inserta est epigraphes: *Ex-
posita est Catholica fides in præsentia Do-
mini nostri religiosissimi, & victoris Im-
peratoris Constantii æterni Augusti, sub
Consulatu Flav. Eusebii, & Hypatii cla-
rissimorum virorum apud Sirmium, un-
decimo Calendas Junias.* Consulatum
vero Eusebii & Hypatii incidere in an-
num vulgaris Aë. 359. constat ex emen-
datissimis Fastis. Accedit conscriptam
esse tertiam Sirmiensem, ut deferretur
ad Synodos Arimini, & Seleuciæ, quæ
indictæ sunt postquam ad comprimen-
dam Anomæorum perfidiam Basilii An-
cyræ Sirmium ad Imperatorem contendit
prædicto anno 359. quemadmodum illi
in Ancyrana superiori anno coacta fue-
rat demandatum. Atque his convelli-
tur eorum opinio, qui *Perfidiam*, a Li-
berio subscriptam arbitrantur esse ter-
tiam Ecthesim Sirmii.

PROPOSITIO III. Liberius non pro-
bavit secundam formulam Sirmiensem
formaliter hæreticam, neque absolute,
ut putat Blondellus, neque in una tan-
tum parte, quomodo visum Petavio.

Nisi præjudicatis opinionibus veritas
superatur, hanc thesim validissimæ argu-
mentationes demonstrant. Primo: se-
cunda regula fidei edita Sirmii, quoniam
damnabat Filii cum Patre similitudinem,
statim ab Homæusianis explosa fuit, sub-
latum quodcunque ejus exemplar, aut
edicto Constantii vetitum. Legendus
Socrates lib. 2. Hist. cap. xxx. ubi post-
quam ait priorem formulam græca lin-
gua fuisse a M. Arethuso dictatam, se-
cundam vero Romano sermone ab Oc-
cidentalibus Episcopis Valente, Ursacio,
& Germinio, & istam discordare a
priori, Filiumque Patri subicere, addit:
*Sciendum autem quod Episcopi Sirmii
congregati penitentia ducti sunt propter
Romanam fidei expositionem. Multa nam-
que post expositionem videbatur ipsis ha-
bere contraria. Quapropter satagebant,
ut eam ab illis, qui descripserant recipe-
rent. Quoniam vero multi eam occulta-
bant, Imperator eam edictis inquiri jus-
sit, supplicium minatus, si quis eam oc-
cultasse deprehenderetur.* Nemo ergo
tam insanæ mentis erit; ut existimet
Constantium, & Homæusianos Episco-
pos induxisse Liberium ad subscrip-
tionem Ectheseos ab ipsis quoque dam-
natæ.

7.
Liberius non
probavit
2 dam for-
mulam.

Rursus secunda fidei Expositio a solis
Occidentalibus, ut nuper dictum est,
fuit latino sermone conscripta, nec ver-
bis, nec compositione, nec dogmate
cum priori concordat, hæc enim definit,
illa reprobatur Filii cum Patre similitudi-
nem. Sed Liberius in Epistola ad Orien-
tales se recepisse testatur, non Roma-
nam Ecthesim, sed illam tantum, quam
Orientales ipsi in Synodo Sirmiensi plu-
rium Episcoporum approbatione vulga-
verant. *Fidem vestram & Catholicam,*
inquit, *quæ Sirmii a pluribus fratribus
& Coepiscopis nostris tractata, exposita,
& suscepta est, &c.* Igitur formula, cui
Liberius subscripsit, non est illa quam
Ursacius, Valens, Germinius, Hosius,
ac Potamius approbaverunt, Ariana cer-
te, & hæretica: sed prior scripta ab Are-
thusio, dicta Orientalium, & hoc solo
titulo impia, quod non habeat apposi-
tum *Homœousion*.

Ulterius: S. Hilarius in Fragmentis
memorata Fidei, cui subscripsit Liberius, *Confirmatio*.
inquit: *Perfidiam autem apud Sirmium
descripta, quam dicit Liberius Catholi-
cam, a Demophilo sibi expositam, hi sunt
qui conscripserunt, Narcissus, Theodo-
rus, Basilus, Eudoxius, Demophilus, Ce-
cropius, Silvanus, Ursacius, Valens,
Evagrius, Hyrenius, Exuperantius, Te-
rentianus, Bassus, Gaudentius, Macedo-
nius, Marthus, Acticus, Julius, Savi-
nus, Simplicius, & Junior.* Atqui
major horum Episcoporum pars non sub-
scripsit secundæ formulæ Sirmiensi. Igi-
tur secunda Sirmiensi formula ea non
est, quam Liberius, ac memorati Epi-
scopi probaverunt. Minor facillime sua-
detur. I. quia horum Episcoporum plu-
res sunt Orientales; at secundam Sir-
mensem Occidentales ediderunt, ut scri-
bunt Socrates cit. loco, & Sozom. lib. iv.
cap. xii. qui etiam addit, Antiochæ-
nam Arianorum Synodum Valenti, Ur-
sacio, & Germinio gratias egisse, & ipsis
causam deputasse, quod Occidentales
recte sentirent. II. quia in prædicto Epi-
scoporum syllabo non est Hosius, non po-
tamius non Germinius; qui secundæ Sir-
mieni Ectheseos, ut hoc loco Sozomenus,
& in lib. de Synodis affirmat Hilarius, fue-
runt præcipui Auctores. III. quia secun-
dæ Sirmiensi assentiri non poterat Theo-
dorus, qui ante biennium decesserat,
nec Eudoxius, & Cecropius, qui anno
ccclvii. Sirmio aberant. Huic argu-
mento fatetur Petavius, & Du-Pin nil
aliud reponi posse nisi nomina illorum
Episcoporum addita ab Auctore, qui Hi-
larii excerpta confecit. At aliter sen-
tiunt Monachi S. Matri inspectores æc-
cura-

8.
Roboratio.

9.
Confirmatio.

curatissimi antiquorum MSS. Et quidem si quæras illius additamenti artificem, prorsus ignorant: si quæras, cur quispian potuerit hæc nomina fingere, & inferere Hilario Fragmento, causam reddere nequeunt: si appellentur ad Códices vetustissimos, necesse est obmutescant. Quamobrem *Perfidiam* obfirmatam a Liberio non compellat Hilarius Blasphemiam Hosii, & Potamii, sed primam Ecclésiastice Sirmiensem; atque argumentum Blondelli hac ratione dissolvitur. Concidit pariter sententia Petavii: nam Fides horum Episcoporum suffragio signata non est ea, ut jam constet, quam exhibuit Demophilus; neque is Arianorum partium princeps blasphemiam Hosii, in præjudicium Ariani dogmatis mutilasset. Quid? si in Epist. ad Orientales ipse Liberius testatur non partem, sed integram Ecclésiastice suscepisse, eisque penitus esse in ea fide consentaneum? *Hanc, ait, lubenti animo suscepi, in nullo contradicens.* Itaque Liberius alicui Sirmienfi fidei plene subscripsit: non secundæ; ergo primæ. Minimus restat scrupulus, quomodo Demophilus, & quidam alii partium Arianorum potuerint subscribere formulam *Omoousianam*, & Filium Patri similem confiteri. Factum id *Omoousianorum* præpotentia; qui, ut ait Socrates lib. 11. cap. 24. Et Sozomenus lib. 14. cap. 15. maxima apud Imperatorem gratia & auctoritate valebant, eumque permoverunt, ut Ursacium quoque, & Valentem vi compelleret.

10. Defensio ul-
terior. Accedit, quod Liberius, ut Sirmium pervenit, subscripsit, opera Basilii, Eustathii, & Eleusii Fidem Sirmiensem contra Photinum, qua non potuit damnari *Omoousion*, nisi in pravo sensu Sabelliano, & quatenus significare videtur abscissionem substantiæ. Et vicissim in ea confessione excommunicati sunt Aetiani, qui per omnia Filium Patri similem non pronunciabant, eoquod falso, ut inquit Sozomenus, Eudoxius, alique Anomœi spargebant Liberium reprobasse *Omoousion*, & filium Patri affimavisse dissimilem. Atqui nec falso id Anomœi promulgassent, nec Liberius in eos dixisset anathema; si paulo ante Berœæ signasset secundam Ecclésiastice Sirmiensem, quæ redolet purum putum Anomœismum. Ergo Liberius secundam illam Sirmiensem Blasphemiam nequaquam probaverat.

11. Confirmatio. Tandem subscriptio secundæ Sirmien-
sis formulæ non revocasset ab exilio Liberium, tum quia novum sibi apud Constantium, & *Omoousianos* odium concilium. R. P. Bertz Theol. Tom. II.

liasset, nam omnes Anomœorum perfidiam, fidemque istam summopere exacerabantur; tum etiam, quia Imperator non exigebat à Pontifice Arianam protestationem, sed tantum, ut damnaret Athanasium, ut colligitur ex Theodoro lib. 11. cap. 16. Si ergo subscriptio secundæ formulæ Sirmii Constantio futura erat ingrata; si *Omoousianis*, quorum major erat apud Imperatorem auctoritas, maxime opponebatur: si demum non poterat Liberio libertatem promereri: profecto non video, cur illam Pontifex approbasset, ut revocaretur ab exilio, quod illius gratia piissimæ Matronæ Romanæ, & Occidentales quidam Episcopi flagitaverant. Vide Theodoretum laudato, ac proximo capite.

Hæc quum ita sint, non est in solutione argumentorum diutius immorandum. Quod enim obijciunt ex Hilarii fragmentis obfirmasse Liberium Sirmiensem *perfidiam*; non esse accipiendum de *Blasphemia* per Osium & Potamium conscripta, id in tertio argumento hujus propositionis fuit demonstratum: Illud vero, quod scribit Sozomenus libro 14. cap. 15. coactum à Constantio Liberium ad confitendum. Patri Filium non esse *Omoousion*, manifestum est in præmissa expositione tertiæ sententiæ, & in penultimo argumento, dictum à Sozomeno de prima formula Sirmienfi contra Photinum, & de Antiochena contra Paulum Samosatensem: quarum prima *Omoousion* palam non efferebat, altera reprobabat in sensu Sabelliano, prout sola lectione Sozomeni liquido apparet. Quod ajunt, receptam Fidem expositam paulo ante, non anno 351. remoto nimis à lapsu Liberii; & istud priori argumentatione revincitur. Sed & quod repouunt, probatam Ecclésiastice, qua sperabatur Pontificis restitutio; postrema ratione refellitur. Nec, quod præsertim reprehenditur, suppressio scilicet *Omoousii*, quod palam erat enunciandum, magni ponderis est; si advertas quod in ultima sententia recitavi e Sozomeno, idest, tempore Liberianæ subscriptionis, quosdam prætextu *Omoousii* Photinianam hæresim fuscitasse. Denique neque illud movet, Liberium subscripsisse damnationi Athanasii; quoniam, etsi ob fidem Catholicam vexabatur, Ariani tamen ficta quædam, horrendaque ejus crimina prætexebant, quibus credulus Pontifex fidem præbuit.

Liquet ex his, quo sensu, & Hilarius, & Hieronymus, & alii minus honorifice de Liberio fuerint locuti. Primo enim suscepit is primam fidem Sirmii, in qua Semi-

12. Objectionib.
satisfit.

13. Quo sensu
Hilarius &
Hieronymus
contra Libe-
rium intelli-
gendi.

Semiarianorum fraus latitabat, & in Athanasium quoque sententiam dixit, unde visus est hæreticorum partes fovere: quod est proprietate sermonis mei esse hæreticum *interpretative*, veram tamen fidem profiteri. Deinde, cum Liberius reprobasset, & compressisset repullulantem Photini hæresim, eoque prætextu Eudoxius, cæterique Anomœi spargerent improbo mendacio proscriptisse *Omoousion*; falsus rumor facile potuit ad aures hominum pervenire, undique spirante flatu pestifero Arianorum. Quare nil mirum si Hilarius ter in Liberium pronunciavit *anathema*; si tamen illa indignantis animi nota vere ex Hilarii pectore erupit: sunt enim complu-

res, qui e margine in textum irrepsisse contendunt.

Arduam hanc quæstionem non magni momenti Dupinius appellat. Cæterum, si quis recolat quanta pro fide Catholica Liberius Papa præstiterit, Apostolicas ad Constantium pro Divo Athanasio Epistolæ, damnationem Pseudoconcilii Arelatensis, plenissima libertatis, cum ad Eusebium Eunuchum, tum in faciem Imperatoris proloquia, invictam animi fortitudinem, miserrimi exilii calamitatem, Romanæ Urbis, & amantissimæ Christi plebis pro ejus restitutione voces, ac gemitus: si quis, inquam, ista perpendat, lubenti animo me verbosum, molestumque hominem patietur.

CAPUT XIII.

De miserando lapsu, & pœnitentia Hosii Episcopi Cordubensis.

SUMMARIUM.

1. Notandum Historicum.

2. & 3. Probat, Hosium tandem Arianorum consensisse impietati.

4 Propugnatur, eum nequiquam in impietate Arianica obisse.

5. & 6. Solvitur objectio.

I.
De lapsu &
Pœnitentia
Hosii.

HOSIUS ob ætatem, & confessionem, laborumque tolerantiam omni honore ac reverentia dignissimus, Nicænæ Synodi confors, atque insidiis Arianorum exilio damnatus, studio eorum, qui anno 357. Sirmium convenerant ab Imperatore Constantio revocatus est, ut vel persuasus, vel coactus hæresi consentiret. Cogitabant enim, si hunc tam eximium, & omnium celeberrimum consentientem haberent, fore illum fide dignum, maximumque dogmatis sui testimonium. Sirmium ergo venit necessitate coactus, & invitus, centenarius ætate, septingentium leucarum itinere fessus, industria eorum, qui tantam venerabilis Antistitis senectam male exercitam habuerunt. Hæc ex lib. 11. Socratis cap. 31. & Theod. iv. cap. 6. Videtur tamen Socrates priorem, & secundam Sirmiensem Synodum confundere, cum ex inscripto Consulatum nomine constet tres esse distinguendas, & Hosium interfuisse Synodo secundæ Arianorum Episcoporum, quorum erant principes Ursacius & Valens. Quæritur modo, an formulæ hujusce Synodi subscripserit, quam ex dictis liquet fuisse blasphemam & Arianicam, & an post lapsum respuerit, vel in hæretica impietate decesserit.

PROPOSITIO I. Cessit tandem Hosius Arianis, illorumque impietati consensit.

In libro enim de Syn. Hilarius commemorat *Blasphemiam per Hosium & Potamium conscriptam*; de qua supra Socrates lib. 11. cap. 31. *Quoniam vero consentire renuebat, plagas, & tormenta seni inferebant: unde & necessitate coactus, datis tum expositionibus & consensit, & subscripsit.* Ac Theodoretus in iv. H. E. libro cap. 6. *Hosius, inquit, initio quidem illis consentire detrectabat, compulsus tamen, & verbera, ut fama est, cum esset senex perpressus, tandem consensit, & subscripsit.* Athanasius quoque celeberrimi fenis cultor singularis, & gratus in sua ad Constant. Apologia ait: *Quamvis ob illatas ipsi multas plagas, immodicas & structas in cognatos ejus insidias cesserit ipsis ad horam, utpote senex, & corpore imbecillis.* Quod habet Latinus interpres legitur in Athanasio *εἰς τὴν αὐτοῦς πρὸς ὥραν, non repugnavit ad horam.* Cæteros complures affert Baronius ad annum 357. ubi num. xviii. præclare asserit, Hosii lapsum præteritorum omnium casum superasse. Certis itaque testimoniis humana imbecillitas continuo nobis pensitanda in Hosii defectione proponitur.

Eminentissimus Aguirre Dissert. 2. in alterum Tom. Conc. Hisp. aperte narratum casum non denegat, dubium tamen multiplici capite probat: idque ob præclara Hosii merita summopere videtur

14.
Dupinius
Arianis con-
sensit.

2.
Hosius
Arianis con-
sensit.

Probatio 1.

3.
Probatio 2.